



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1859

LXII. Der Rath zu Lüneburg bekundet den Verkauf einer Salzhebung aus
Lüneburg an mehrere Nonnen des Klosters Diesdorf, am 9. September
1355.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54934)

cificare, absolueret et penitus liberare, quandocunque a predictis preposito priorissa vel conuentu in Distorpe fuerimus requisiti. In cuius testimonium luminosum meum sigillum una cum sigillo Johannis, filii mei supradicti, appensum est huic scripto, sub anno dominice incarnationis millesimo trecentesimo quinquagesimo tertio, in vigilia Jacobi apostoli gloriosi, presentibus discretis viris Thiderico Thuriz, Arnoldo Klezeke, Nicolao Godescalci, Hoiero Distorp, Christiano Blekede, et Thiderico Kolnen, civibus in Soltwedel, et pluribus aliis fide dignis specialiter vocatis et rogatis in testimonium premissorum.

Gercken's Dipl. I, 443—444.

LXII. Der Rath zu Lüneburg bekundet den Verkauf einer Salzhebung aus Lüneburg an mehrere Nonnen des Klosters Diesdorf, am 9. September 1355.

Nos Consules ciuitatis Lüneborch, Johandes Beue, Hartuicus de Salina, Henricus Miles, Leonardus Longus, Ditmarus de Molendino, Johannes Viscule, Hinricus de Arena, Hartuicus de Salina junior, Albertus Hoyke senior, Johannes de Pentze, Johannes Borchtorp, Hartuicus Abbenborch, tenore presentium publice protestamur, quod Arnoldus et Thidericus, dicti Burmesters, fratres, de consensu omnium quorum interest seu interesse poterit in futurum, vendiderunt et presentibus vendunt religionis dominabus Ermegardi Longe, procuratrici officii caritatis, ac Ermegardi Longe, Christine et Ermegardi, filibus Leonardi Longi, inter nos superius numerati et positi, nec non Beatrici et Gertrudi Walteri ac Margarethe et Margarethe, Martini dictis, sanctimonialibus conuentus monasterii in Distorpe, dimidium plaustrum falis in salina Lüneborch quolibet flumine in domo Denquininghe in sartagine Wechpanne ad dextram manum, cum itur in ipsam domum, iure perpetuo possidendum modo subscripto et tollendum, Ita quod domina Ermegardis Longa karitatrix predicta tollet singulis annis de dicto dimidio plastro falis unum Rump pro se temporibus vite sue, ipsa mortua cedere debet idem Rump falis perpetuo officio karitatis seu persone dicte Longe prenarrate ipsum tollent temporibus vite earum tantum et post mortem earum tantum et post mortem earum cedit Karitatrici. Alter Rump falis de dicto dimidio plastro falis diuidetur in tres portiones equales et ejus prouentus singulis annis sic quod Ermegard Longa, Christina et Ermegard predictae tollent unam portionem et Beatrix et Gertrudis Walteri aliam portionem, Margaretha vero et Margaretha Martini tertiam portionem tollent temporibus vite earundem. Quibus omnibus de medio hoc sublatis idem Rump cum . . . officio karitatis ibidem jure perpetuo remanebit, Ita quod Karitatrix que fuerit pro tempore dictum dimidium plaustrum falis integraliter tollet pro salute animarum predictarum et eorum qui participationem de jure vel gratia in eodem. In quorum euidentis testimonium sigillum nostrum presentibus est appensum. Datum anno domini millesimo trecentesimo quinquagesimo quinto, in die B. Gorgonii martiris gloriosi.

Gercken's Dipl. II, 208—211.